



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensis Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Carmen. In Honorem S. Engelberti Archiepiscopi, Et Martyris Colon. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728



CARMEN.

IN HONOREM
S. ENGELBERTI
ARCHIEPISCOPI, ET MARTY-
RIS COLON.

IN MEMORIAM

D. IOANNIS GELENII, METROP. COLO-
NIENSIS CAN. PRESBYTERI CAPITVLARIS, SS.
Apostolorum Decani, & Serenissimi Colonienus, Domini nostri
Clementissimi &c. Vicarij in spiritualibus generalis & con-
siliarij, monumentorum Colonensium colle-
ctoris.

IN SIGNVM AMICITIÆ
DN. ÆGIDIO GELENIO LICENTIATO
Canonico S. ANDRÆ.

Fratris posthumos labores elucubranti & vulganti.

Ecce laboratam celeri feliciter anno
Prodit opus, nitidamque diem iam nocte repulsa
Aspicit, ingentis pandens facta inelyta Mystra;
Quem rapidi ad ripas fundata Colonia Rheni
Asserit Indigetem, Superumque attollit honore.
ENGELBERTVS hic est, Montana sanguine gentis
Nobilis, & longa notus per sæcula fama.
Ecquis enim seriem stirpis laudemque verustæ,
Et multo implicitos quondam diademate fasces
Ignorare queat? late patet ardua virtus
A primis deducta atavis, atque altior exstans
Montibus ipsa suis, propius expectat olympum.
Nominis eiusdem genitor fuit optimus olli,

*De Editione
vita S. Engel-
berti.*

*De Patre
S. Engelberti.*

Cui

Cui cingunt oleæ, cingunt cui tempora lanæ,
Nam velut Imperio miti sibi rexerat olim
Subiectos populos: sic postquam classica belli
Intonuere sacri, spreta formidine mortis,
Arma in prædonem Solymæ mox sustulit urbis.
Nimirum ingenti subiturus robore muros,
Acturusque hostem Sancti præcul æde sepulchri,
Ni vix Pannonicæ tangentem limina terræ,
Intempestiuo merisset funere fatum.

*De morte e-
iusdem.*

*De matre
S. Engelberti.*

Iam verò genitrix præcis prognata Sugambriis,
Exstitit eximio mulier memoranda pudore,
Et pietate pari, & morum bonitate suorum.
Sed minus est Patrum quodcunque à sanguine fluxit
Virtute ingenita, minus est illustribus armis,
Atque animi clarere bonis, quando illa vocanda
Nobilitas sola est proprijs quæ nititur actis.

*De pietate
S. Engelberti.*

Hac dote emicuit primo ENGELBERTVS ab æuo
Et iam tum melior studuit, quam maior haberi,
Scilicet attollens oculos ad sidera mentis,
Et secum æternæ perpendens præmia vitæ,
Mortales spreuit titulos, perituraque mundi
Gaudia, & ad cæli flexit sua vota parentem.
Quid mirum? ingenui tanto plus Stemmatis ardor
Se supra assurgit, quanto plebeia relinquit
Pectora, & ignauas despectat longius artes,
Inde tuos inter conscriptus Petre clientes,
Atque Vbij Neo-Mystra chori, pietate magistræ,
Sedulus officij sacrati interfuit horis,
Debitaque assiduo persoluit pensa precatu,
Quin alijs vitæ quacunque à labe remotæ,
Exemplo pariter præijt, sanctique creauit
Affectum desiderij; quo turbida sæcli
Tempora, diuinis mallent postponere curis.
Namque Deo reddens crebræ præconia laudis,
Sæpe dies totos, totasque ex ordine noctes
Insomni studio pronus ducebat ad aras.
Ac velut attritum ferrum magnetis ab vsu
Ducitur, & septem declinat ad astra trionis:

Hand

A

*Quomodo sit
factus Archi-
episcopus.*

Haud aliter mentem victus pietatis amore,
Gaudebat crebrò radios admittere cœli,
Nec verò quisquam frustra bonus exstitit vnquam,
Ipse pater superùm mercedem rite rependit
Pro meritis, cumulatque nouo benefacta fauore,
Sic iuuenis sacræ subijt moderamina sedis
Exclusis reliquis, postquam Theodorus adhærens
Otoni reprobò, Latia proscriptus ab vrbe est.
Et quisnam tanti tenuisset culmen honoris
Dignior? haud illi mentem malefana libido
Fregerat, & vano subnixa superbia fastu.

B

*Quomodo se
gesserit in
Episcopatu.*

Non Bacchi peruersus amor, subitisque calescens
Ignibus ira animi, non turpis gratia lucri.
Vita erat innocuo semper traducta paratu
Et niueo candore micans, ceu vellera nullis,
Albescunt teneri maculata coloribus agni.
Ergo adè castè compleuit iura verendi,
Muneris, & grato placauit numina cultu,
Pro grege sollicitus, pro religione parentum.
Ergo ædes superis magna pietate dicauit
Sacrorumque auxit numerum; dextra ergo benigna
Subuenit miseris, vetuit que atrocia fata
In turbam sæuire inopem. Claustra ergo viro-
rum, Fœmineique gregis, sanctis muniuit abundè
Legibus, & patrum sua per vestigia duxit
Nec tamen externis se gessit in actis.
Sed postquam officium compleisset Præfulis almum,
Principis ad curas conuertebatur in orbem.
Hinc pacem dedit vsque suis Martisque remouit
Infustos populi procul à coruice tumultus,
Hinc sacræ Themidos patefecit limina cunctis
Iustitiæ assertor, magnoque ardore relictas
Protexit viduas, hinc desolata parentum
Pignora, profusæ ditauit munere dextræ.
Quo tamen hæc almi præclara Antistitis acta?
Quid iuuat sacrum esse Deo? quid numina votis
Sollicitasse pijs? quid crimina declinasse?

D

Inf n-

*De morte
eiusdem.*

Infandum, heu, dictu! cognato à sanguine cæsus
Occidit, & terram venerando vertice pressit,
Occidit, & multo profudit vulnere vitam,
Occidit, & proprio resperfit membra cruore.
Ipsos crediderim tam sæua in morte dolentes
Ingemuisse polos, & Phœben cuncta videntem
Auertisse oculos crudeli à funere sancti.

*De causa
morts.*

Nimirum infracta satagens super omnia mente,
Iuraque sacrorum, libertatemque tueri,
Hæc tulit innocuis indigna, heu! præmia curis.
Quanquam cur nimium finem ploremus acerbum?
Annon perque cruces, tormenta que sæua beati
Cœlestes tenuere domos? vitæque perennes
Commoda contemptis meruere doloribus olim?
Sic ergo æthereis nunc ENGELBERTVS in oris
Cingitur æternæ rubicundo flore coronæ,
Et gaudet diri dextra cecidisse tyranni,
Quin etiam in terris Diuorum insignis honore,
Assiduis colitur precibus, vultuque benigno
Aspicit humanæ diuersa incommoda vitæ,
Et clemens miseris præbet solatia rebus.

*De primo
scriptore vite
S. Engelberti.*

Quis dubitat? tantas virtutes Præsulis almi,
Cætarius Prisco dederat venerabilis æuo,
Magnus nempe fide, magnus virtute sacerdos.
Et nunc annorum post sæcula plura peracta,
Successit sancti motus pietate patroni

*De D. Ioanne
Gelenio
sarraginato-
re monumē-
torum Colo-
niensium, eius
doctrina: di-
gnitatibus:
& studiis.*

Gelenius, vitæque legit monumenta probatæ.
At quis Gelenius, quali memorandus ab arte?
Gymnasij lux prima sui, lux prima virorum,
Quos sacra Sophia perstrinxit cœlicus ardor;
Tum quoque matricis longe celeberrimus ædis
Presbyter, atque vices VBI O pro PRINCIPLE fungens,
Tum quoque Apostolicæ prætes dignissimus ædis.
Atque, ô, si vitæ concessent stamina Parca.
Duratura magis, nec iam meliora tenentem
Ætatis spatia, exemissent lucis ab aura!
Tum primum ingenti veneranda Colonia sole

Ful-

Fulgura præteritas damnasset lata tenebras,
 Obscuro nique chaos rerum, noctemque suarum.
 Tunc Vb. os fastos, quaqua patet orbis in othera
 Attonitus legeret, qualisque à tempore magni
 Agrippæ fuit vrbs honor, cum filia Princeps
 Vicinis populis satagens ostendere vires,
 Natalem emeritò decorauit milite terram.
 Qualiter Ausonia diuinum lumen ab vrbe
 Primitus accepit, postquam Maternus inanes
 Damnauit veterem ritus, cælique fauorem
 Intulit, æternæ referans mysteria legis.
 Qualiter eiectis crudeli Marte Latinis
 Francorum tulit imperium, vastataque demum
 Pannonicis furijs, magni per munus Othonis
 Libera facta iugo est, Electorumque videre
 Ipsa summi meruit Mysten in sede secunda.
 Scilicet hæc magno narraffet pondere rerum,
 Vi que etiam magna eloquij: verum inuida Parca
 Ante diem egregium Patriæ decus abstulit orbi,
 Inque insperata iussit subsistere meta.
 Quid tamen æternas animi conuellere dotes
 Non potuit, mentisque inbar; manet inclyta terris
 Gloria, quam Musis sacri peperere labores;
 Quamque pio Fratri Frater post fata superstes
 Eripit à tumulo, populi que in luce reponens,
 Manibus inferias grato fert munere gratis.
 Ite igitur grauium non contemnenda laborum,
 Ite bonis aibus præludia, fataque Sancti
 Præfulis, & patrio miracula cognita Rheno,
 Spargite per populos, laudemque augete Beati,
 Fors erit, vt qui vos fraterno victus amore,
 Eximit à tenebris, vulgi que emittit ad vsum,
 Cætera quæ restant Vbij monumenta decoris
 Subducat pariter damnato à gurgite Lethes,
 Atque ita Germani partes sibi vendicet omnes.

De huius ope-
 ris Concinnat-
 ore, &c.

Fasiebat PETRVS A STREITHAGEN, Canonicon,
 & Cellarius Collegij Heinsbergensis.

INDEX